



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Leonis Allatij epistola ad Ioannem Morinum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

plures ex dictis hominibus habuit ad plura & diversa pollicita liberales. Sed quos sentijt ad verba tunc faciles, ad facta nunc reperit contumaces. Super quo, eo supplicante sibi per nostram magnificentiam in favorem militiæ provideri, devotioni tuæ præcipiendo mandamus quatinus si præmissis veritatem reperiis suffragari, ne honoris tanti mysterium, quod laudabilem habuit in sua prosecutione congressum, ludibriosis proventibus evanescat, promissiones quaslibet quas eidem. . propterea constiterit fore factas, eidem efficaciter facias observari.

LEONIS ALLATII
EPISTOLA

A D

IOANNEM MORINVM.

*Clarissimo eruditissimoque viro Ioanni Morino
Leo Allatius S. P. D.*

DICI non potest, vir præstantissime, quanta lætitia afficiar & gēstiam voluptate cūm mihi tuæ literæ perferuntur. Fit quandoque ut magnificē me etiam inter amicos inferam. Illis enim aliquid sapere mihi videor cūm mihi Morinus (qui vir!) melioribus suis curis neglectis dignatur aliquid scribere, quo ipse melior semper evado, καὶ νεογνῶν διδασκάλῳ. Tu planē meliūs, doctrina & eruditione qua polles, dubijs, si à me proponerentur, respondisses. Vt tamen morem geram, in negotio pœnitentiæ Græcorum usum quàm brevissimè

H h iij

aperiam. Sacerdotes audita pœnitentis confessio-
 ne, dummodo seriò pœniteat, injuncta pœniten-
 tia, licet gravium peccatorum reus secundum ca-
 nones gravioribus pœnis subjaceat, absolutionem
 impartuntur precibus illis atque orationibus quæ
 in Euchologio sunt, etsi postmodum addant post
 illis hoc quoque: *Vade, habeo te absolutum.* ὅμα,
 εἴχω σε συγχωρούμενον. & quamvis in multos annos
 eucharistiæ communio differatur, cum eo agunt
 ut reconciliato. Qua absolutione concessa, nullam
 aliam impartuntur. Pœnitentia completa, sive si
 diuturniora requirit tempora, nondum perfecta,
 ad communionem admittuntur. Nec quæ in Eu-
 chologio habetur εὐχὴ ἐπὶ τῆς ἐξ ἐπιτημάτων λυμένων
 notat pœnitentem post peractam pœnitentiam ad
 primum vel alium Confessarium redire debere, à
 quo absolutionem, non ampliùs à peccatis, sed à
 pœnis canonis postulet, quæ illi rursus conceditur.
 Preces enim illæ dicuntur & recitantur super eccle-
 siasticis censuris innodatos, ut ab illis absolvan-
 tur. Nec aliud sibi volunt συχωρηῶντα qui-
 bus primùm dimissa à Confessario peccata vel omis-
 sa absolventur, quemadmodum in Ecclesia Latina
 semel absoluta in confessione privata, denuo in ge-
 nerali noviter absolutionis repetita forma videntur
 absolvi, secundum ea respiciunt absolutionem à
 censuris ecclesiasticis, & præcipuè excommunica-
 tionis. Cùm enim sæpenumero qui censuris ali-
 quem illigavit, nondum absolutionem impartitus
 mortem oppetit, vel alijs distractus negotijs, quan-
 doque etiam fide Christiana ejurata aliò animum
 adverterit, nec de reo absolvendo accurat, Pa-
 triarchæ, vel qui ea potestate pollent, absolutionem
 concedunt; & ut gratiùs vel tutiùs absolutis acce-
 dat, similibus chartulis συχωρηῶνται muniant;
 idque, si accuratiùs verba expendantur, apertè eli-

Hunc locum
 refert Mori-
 nos in appēd
 lib. de pœnit.
 pag. 139.

citur. Epitimia enim apud hos Græcos posteriores ferè semper notant censuras ecclesiasticas, sed potissimum excommunicationem, & verba illa, *εὐχὴ εἰς τὸ λύσαι κἀνόνα εἰς ἀφορισθέντα*, nihil aliud significant quàm hoc, *εὐχὴ εἰς τὸ λύσαι ἀφορισμένον*, *Preces ad solvendam excommunicationem*. Et licèt aliorum quoque delictorum absolutionis mentionem inducant, intelligunt de absolutis, vel saltim stylo curiæ Romanæ, quo summus Pontifex specialem gratiam faciens à quibusvis excommunicationis aliisque ecclesiasticis censuris & pœnis, si quibus quomodolibet innodatus est, ad effectum illarum gratiarum dumtaxat consequendum, earundem litterarum tenore absolvit.

Ad aliud de ejusmodi epitimijs obnoxijis, an ab Ecclesia cum catechumenis, dum catechumenis id iustum fuerit, egrediantur, scias velim, vir optime, hoc Græcorum statu nullos aut unum catechumenum esse. Turcas enim, si nostram fidem amplectantur, extorres quoque fieri necesse est, cùm igne flammâque severissimè in eos animadvertatur, si innotescant. Ex Hebræis si qui accesserint, domi ab Episcopis instruuntur, postmodum sacris aquis abluti, in communionem cum alijs non multos post dies admittuntur. Cùm olim catechumeni erant, erat etiam locus eorum in Ecclesia; cùmque illi exibant, Christiani quoque pœnitentes egrediebantur, si ex exeuntium ordine erant. Multa de hoc diximus in observatione nostra jam edita de Narthece veteris Ecclesiæ. At nunc nullus est catechumenorum locus; & qui aliàs catechumenis & pœnitibus asserviebat, nunc à mulieribus occupatur in civitate, in monasterijs à fratribus nondum sacris initiatis. Ioannes Nisteuta, Simeon Thessalonicensis, & quisquis alius oppositum narrat, sub Christianorum imperio verba faciunt, cùm inte-

grum & catechumenis esset & pœnitentibus suam stationem in Ecclesia conservare. Hæreticorum qui in Ecclesiam veniunt duos ordines, ut tu bene nosti, Græci recentiores faciunt. Alter est eorum qui licet abluti sunt, ablutio tamen illa nulla est, sive id ex defectu formæ vel materiæ vel alterius successerit, alter quorum ablutio veluti perfectam probant. Primos bene instructos & ejurata hæresi sacris aquis de novo abluunt, nulla prævia confessione. Secundos bene confessos oleo chrismatis unguunt, ut sacris canonibus præcipitur. Et licet nulla in ritualibus libris confessionis mentio sit, attamen ita usu receptum est ut nullum nisi prius confessum absolutumque ad unctionem admittant. Legi apud plerosque Græcos angelicum monachorum habitum sui acceptione peccata omnia dimittere, de quo egi in opere de consensione utriusque Ecclesiæ. Nullum tamen ad hunc diem inveni scribentem, aut dicentem audivi, sacramento hoc confirmationis vel hæreseos crimen vel præcedentia peccata deleri. Quare non omittitur confessio, sed eam præeuntem, licet id scripto non tradatur, unctio consequitur. Et sanè in tanta infelicitate temporum mirum non est ex usu nonnulla fieri in ea Ecclesia quæ monumentis non traduntur. Usus enim ipse plerunque & plana rerum cognitio facit ut scriptio negligatur. Neque enim fieri posse reputatur ut res adeo trita, & quæ communi in usu atque in hominum more & sermone versatur, deperdatur, & qui simile munus obit ab usitata consuetudine recedat. Plura de his scribere non debeo, & præsertim ad te, quo magistro non ego solus sed reliqui etiam omnes in rebus ecclesiasticis addiscendis merito uti possunt. Vale vir præstantissime, & *χρῆμα τῶν σαπῶν, αὐτὸ ἐλάχες*, tanto reipublicæ Christianæ emolumento. Romæ III. Kal. Mart. MDCLI.